Rever. & Clar.mo Vir, Amice plurimum colende.

Literas tuas, 10 Maii scriptas, Mediolani summâ cum voluptate perlegi, in quibus tuam erga me benevolentiam, & amorem declarare eximium ad modum voluisti. Respondere omnino debuissem citius, nisi continuum nostrum iter responsum distulisset.

Quæ de P. Grubero scribis, Geographiæ Asiæ plurimam lucem dabunt, quæ hactenus circa locorum Situs parum certi habuit, si Persiã Olearii & Sinas P. Martinii excipias. Gaudeo profecto, spem esse factam Itinerarii Gruberi. Utinam brevi illud videre liceret! Sed forsan præcipua capita isti, quod nunc præ manib. habes, Operi inserta aliquando videbimus.

P. Terentii Plinium Indicum publicæ utilitati subduci, omnino dolendũ est. Optarem saltem, ut, ubi tam rarum Volumen delitescat, certo sciri posset. Interim gratias tibi ago maximas pro iis, quæ de ipso mecũ communicasti. Si Deus t.o.m. voluerit, videbis olim verba tua Historiæ meæ apposita.

Si placet in posterum literarum commercium continuare, destinabis tuas Lugdunum in Gallia, & commendabis eas Mercatoribus Davidi Couvreur, & Vincentio Hertner.

Cuperem ex te cognoscere, an Ficus Sardiniæ Febriferas, quas Ficus Pharaonis quidam appellant, experientiâ aliquâ deprehenderis, si forte Sardiniam ingressus es. Non te latebit, quod Aponen-
» sis c. 45 de Remed. Venen. αὐτόπτης de iis prodiderit. Hoc ego,

R.V. et P. Henichenio dicat sint veteri servi et amici ...

197

„ ait, vidi in Sardinia in Ducatu Galuriae, ubi istarũ ficuũ ẽ ab-
„ undantia, quod q unã comedebat, patiebatur unã febrim, & q
„ duas, duas, & q ter, patiebatur trinam febrim. Et ut plurimũ
„ ipsae Febres erant Tertianae. &c.

Ceterum nec te ignorare velim, me Augustae Taurinorum inspexisse mensam Isiacam; & itinere dimidii diei ab ead. urbe in monte cui S. Michaelis aedes imposita ẽ, cadavera quorundam Monachorum integre q. conservata observasse. Sed quia scio, te pridem a Cl. Bartol. Torinio de his admonitum, nolo hic esse prolixus.

Manfredi Septalae Canonici Mediolanensis Museum Dertonae impressum modo est. Jussit tibi nuntiare salutem officiosissimã.

Vale Vir Rev. & Clar., & me ama.

Lugduni 24 Jul. 1664.

Tuus omni observantiã

Martinus Fogelius.

Viro Rever. & Clariss.o

P. ATHANASIO KIRCHERO,

Soc. Iesu.

Romæ

in Collegio Romano.

Martinus Vogelius